1469 circa 27. July: Ex orig: arch: regni.



Kazimiri regis super summam 60. marcar. Stanislao de Kurozwanki in oppido Piotrkow et villis inscriptio.

146

Kazimirus Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæq. dominus et hæres. Significamus tenore presentium, quibus expedit universis. Quomodo attentis fidelibus obsequijs et constantis fidei meritis, quibus nobis venerabilis Stanislaus de Curozwanki Canonicus Cracoviensis etc devote nobis dilectus continue se reddidit gratum et acceptum, presertim tunc nobiscum in terris Russiæ, et alias per totum annum in curia nostra agens, horum et aliorum servitiorum suorum intuitu, volentes ipsum reddere consolatum, et ad futura obsequia nostra eo post reddere promptiorem sibi, sexaginta marcas pecuniarum numeri et monetæ Polonicalium, quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando, in et super oppido nostro Pyotrkow et villis ad ipsum spectantibus, nec non omnibus et singulis ejusdem oppidi et villarum ad ipsum spectantium, censibus redditibus, fructibus, proventibus, theloneis annonis, stationibus, agris,

pratis

pratis, campis, pascuis, sylvis, nemoribus, gajis, borris, indaginibus, stagnis, lacubus fluvijs, pascuis, aquis, et earu decursibus, molendinis et eorum emolumentis, ac omnibus et singulis obventionibus, quibuscunque censeantur nominibus, cum omni jure, proprietate et dominio, et alias juxta vim tenorem et effectum aliarum literarum desuper eidem et suis successoribus, quomodolibet super ipsum opidum et villas per nos et nostros successores datarum, donatarum et concessarum, dedimus, donavimus, inscripsimus, et assignavimus, damusque donamus inscribimus, et assignamus, per ipsum Stanislaum, et suos successores ipsum oppidum et villas tenendum habendum, utifruendum, et possidendum pacifice et quiete tamdiu donec prefate sexaginta marcae cum alijs summis pecuniarum ibidem sibi et suis successoribus legittime inscriptis, sibi aut suis successoribus, per nos aut successores nostros Poloniae reges pleno jure revertetur, juribus nostris regalibus et stationibus semper et per omnia salvis. Datum in Lublin feria quarta proxima post festu S. Jacobi Anno Dni 1469o.

Relatio Nobilis Alberti de Zychlin regni Poloniae Vicecancellarij

Ta kopia przepisana z Oryginału pargaminowego d. 21. Febr: 1785o od ktorego swierzo oderwana.